

1799 Novembree

252

Regie Matritensi Academię

Salutem p.d.

Aloysius Careno Phil. et Med. Doctor

Variolarum vaccinarum studioſa inſtitio, quam ad præoccupandas
Infantium variolas adeo plerumque calamitoſas nuperrime propoſuit
clariff. Jenner et obſervationibus experimentisque confirmavit, ſe ſe
et novitate, et quam humano generi promittit utilitate plurimum
Eruditis omnibus debet intereſſe. Hanc ob cauſſam iſtud prædicti
Anglici auctoris opus latine reddidi, nonnullasque adnotationes
addidi, ut huiusce idiomatis prope univerſalis ope in totum ferme
Terrarum orbem diffunderetur.

At quorſum mitto iſtiusmet operis exemplar latine converſum hucusque
et quidem data opera? Non mehercule eo quod vos in Anglica qua
ſcriptum eſt lingua, hospites ac plane rudes audeam ſuſpicari.
Quorſum ergo? Dicam candidè: ut novum hoc adverſus infantiles
variolas præſidium, quod plane liquet eſſe aliquommodo tutum,
etiam ex adjectis meis obſervationibus atque experimentis undequaque
conſectis, poſſit eo magis concreſcere in communem utilitatem Veſtris

potissimum sub auspiciis ac studiis.

Mitto vobis etiam latinam hanc versionem, ut meos grati animi
sensus et vobis ipsis et totæ Nationi Vestre exhibeam, quippe
qui multis ab hinc annis immerito sedeam hac in Imperiali
Metropoli medicus inclytæ Legationis Vestre.

In hunc finem adijcerem nonnullas alias el^{usu}abrationes omnino mea-
rum jam typis editas; sed enim vereor ne digne sint, quæ oculis
vestris subici mercantur. Valete.

Vindobona die 16 Novembris 1799